

meres dein circulo soluto ad ictum horologii vel penduli puncta temporis, quae ad peragendum quendam oscillationum numerum definitum requiruntur sub solius terrae influxu. Cui horologium pendulo sic dicto centrifugali instructum (Gilb. Ann. XVI. 494. Pogg. Ann. V. 353.) suppetit, cum ejusmodi apparatu, ut indicis motus ad intervallum quodlibet temporis exactissime restringi possit, magis etiam exacta mensura utetur. Sit ille numerus N ; dabitur mensura vis, qua terrestris magnetismus in acum agit, per $\frac{1}{N^2}$. Dein circulo juncto numeres puncta temporis, quae in eodem numero oscillationum consumuntur sub combinato influxu terrae et fluminis galvanici. Sit hic numerus punctorum temporis M ; dabitur mensura combinatae vis terrae et fluminis galvanici per $\frac{1}{M^2}$. Ergo mensura vis galvanicae solius erit

$$\frac{1}{M^2} - \frac{1}{N^2} = \frac{N^2 - M^2}{N^2 M^2}$$

et si terrae vim ut constantem pro unitate ponemus, dabitur haec mensura per

$$\frac{N^2 - M^2}{M^2}$$

Numerum N constantem habebimus tam diu, quam terra et acus constantem magnetismi intensitatem retinebunt. Cum autem variatio magnetismi terrae per tempus mensurae sit negligenda, variatio magnetismi acus autem diligenter excludenda, patet, numerum N semel observatum dein per totam observationum seriem valere posse; modo ne cautio illa, jam supra memorata, negligatur, ut observationibus peractis ultimo experimento circulo soluto exploretur, num idem numerus N redeat, qui ad caput experimentorum observatus fuerat.

Monendum, hic descriptam methodum, qua praescribitur puncta temporis numerare, quae ad certum quendam numerum oscillationum explentur, multo praeferendam esse illi, qua oscillationes numerantur, per certum quoddam temporis intervallum peractae. Nam quoniam finis hujus intervalli ut plurimum non cum fine oscillationis coincidet, de